



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Contra omnem vanitatem & curiositatem sensuum precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

*Pro voluntatis propria abnegatione, precatio.*

**O** Iesu amabilissime, qui perfectè voluntatem tuam in manus Patris tui coelestis, dum hora atrocissimæ mortis tuæ instaret, tradidisti dicens, *Pater non mea sed tua voluntas fiat*: dona mihi obsecro hanc gratiam, ut in omnibus propriam meam possim voluntatem frangere, eamq; superiorum meorum iudicio ac voluntati sine vlla exceptione subternere, atq; obedientiam sanctam operibus ex proprio instinctu assumptis semper præferre: carnem quoq; & sensuales affectus viriliter mortificare ac spiritui subdere, resignatum animum in omni rerum euentu gerere, atque tuæ divinæ providentiæ & bonitati me totum, sine vlla carnis recalcitratione semper & vbique quam fidelissime committere. Amen. Math. 26

*Pro sitis temporalium rerum extinctione, precatio.*

**O** Fons inexhaustibilis pietatis Iesu Christe mellisive, ardor flammæ charitatis tuæ, omnem in me terrenæ conversationis sitim extinguat, omnemq; æstû carnalium concupiscentiarum refrigeret, ut plenissimè te aquarum viuentium fontem, ac bonorum omnium causam sitiam, proximorum meorum salutè & profectum desiderem, atq; me ipsius despectionem & contemptum humiliter & æquanimiter sufferre discam. Amen.

*Contra omnem vanitatem & curiositatem sensuum, precatio.*

**O** Superbenedictissime Domine Iesu CHRISTE, cum tantum tamq; periculosum sit vitium curiositas, ut per plures etiam electi tui per eam in immania prolapsi sint, imò etiamnum prolabantur peccata, rogo te per sanctissimam immaculatissimam atque integerrimam tuam conversationem, sensusq; ordinatissimos & reformatissimos, ut misericorditer sensus meos vagos & curiosos, atq; ad omnem vanitatem plus satis inclinatos, reformare digneris, ac sub rectæ rationis iudicium subigere, ne eorum vanissima curiositate deceptus, à te Deo ac Domino meo abducar.

Ah pijsime Domine, dura illa vincula, quibus atrocissime nobilissima atq; tenerrima tua membra fuerunt colligata, cor meum ab omni inutili cogitationum euagatione restringant, atque omnes sensus meos intra te arctissima disciplina cõferuent, ne aliud videam, audiam aut intelligam, quam dilectum Dominum Deum meum. Amen.

*Resignatio animi efficax admodum, dum tentatio quævis mentem impugnans perseverat, nec aliqua liberationis spes superest.*

**B**enignissime Domine Iesu Christe, si tibi sic placet, ut abominabilis & immundus ego peccator ab illis abominabilibus & immundis tentationibus contra omnem rationem ac voluntatem meam impugner aut molester, fiat voluntas tua. Tu scis quam indignus sum vel in minimo à te consolari, & quam in omnibus tibi semper infidelis sum, à te recedendo, euagando, & cum creaturis per inordinatum amorem à te fornicando: ideo immundis his trador passionibus. Itaq; in vnione resignationis tuæ, qua te Patri obtulisti ad passionem & mortem.